


Q. R. 238, 18.

5.8.  
Za  
2854

8.

ORDINIS THEOLOGORUM  
 IN  
 ACADEMIA VITTEMBERGENSI  
 h. t.  
 DECANUS  
**GOTTLIEB  
 VVERNSDORFIUS,**  
 S. S. Theol. Doctor, Ejusdemque Profess. Publ.  
 Templi O. O. S. S. Præpositus, & Alumn. Saxon.  
 Ephorus,  
 LECTURIS SALUTEM PLURIMAM  
 DICIT,  
 EOSDEMQUE AD AUDIENDAM  
**ORATIONEM INAUGURALEM**  
**AMPLISS. THEOL. CANDIDATI**


REVERENTER, ET OFFICIOSE  
 INVITAT.



76.238.

*De Carolostudio zelo impio adversus Gradus Academicos.*





LECTURIS SALUTEM PERPETUAM

AD HONORANDUM

ORATIONEM IN AVGVRALEM

AMPLISS. THEOL. CANDIDATI

RECTORIS UNIVERSITATIS

AVAVICIANAE



Uanti momenti res sit, habere potestatem docendi publice in Ecclesia, vel hoc uno, citra difficultatem, confici argumento potest, quod DEUS ad has partes adire quenquam sine luculento aliorum testimonio vetuit. Nam quum creandi olim essent septem Diaconi, etsi omnes, quotquot tum aderant iamdudum fidem obligaverant Christo, jubebat tamen Petrus circumspicere *ἀνδρας μαρτυρημένους*, seu honorifico aliorum testimonio commendatos *Act. VI, 3*. Paulus inter futuri Antistitis requisita refert, bono, etiam extraneorum, & non-Christianorum, testimonio gaudere *1. Tim. III, 7*. Ipse vero non parum eo se efferebat nomine, quod, collectis apud Corinthios meritis, non perinde, ut alii, commendatitiis egeret *2. Cor. III, 7*. Et Joannes Apostolus ea de causa gratulabatur Demetrio, quod bonum ei testimonium a DEO, & hominibus esset perhibitum *3. Ep. v. 13*. Denique ne testimonii necessitas in Doctore non satis appareat, Joannes Baptista hoc maxime consilio missus a DEO dicitur, ut testaretur de Christo, suoque adeo testimonio viam ei ad occupandos hominum animos communiret, *Jo. I, 6. 7. 15. 19*. Qui tamen & ipse hoc  
a 2  
argu-

argumento majorem sese Joanne, ipsumque DEI Filium esse ostendit, quod μαρτυρίαν haberet μεῖζω τῷ Ἰωάννῃ, Patris nempe cœlestis testimonium, Jo. V, 36. Quo loco & illud notandum est, Dominum inde aliquod testimonio suo robur accersere, quod non unius, sed plurium, suffragiis niteretur. In Lege vestra scriptum est, inquit, quod duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium fero de meipso, & testimonium fert de me, qui misit me Pater Jo. VIII, 17. 18. Movit hoc haud dubie majores nostros, ut de instituendis honorum Academicorum gradibus cogitarent. Quid enim hi sunt aliud, quam trium pluriumve, de hujus, vel illius doctrina & meritis, vita & moribus testimonia, quibus idem ille vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ commendatur? Voluerunt autem illos a docentibus in Academiis conferri, quod hos communes totius Ecclesiæ non modo Doctores, sed & quodammodo Gubernatores, optimus ac modestissimus quisque semper existimavit, ob juventutis confluxum, qui ex omnibus nationibus, ac provinciis fieri solet ad Academias. Ceterum uti hoc pacto & doctrinæ mundities retinetur, & consensus Ecclesiarum defenditur, quod utrumque Diabolo est invisissimum, sic idem hic excitavit subinde, qui honores illos rejicerent, ac improbarent. Carlostadius, homo ferus, sine mente, sine ingenio, sine sensu communi, ut Philippus eum describit, quum anno 1522. hic loci d. III. Febr. creandi essent duo Doctores Theol. Jo. Westermannus, & Godeschalcus Cropius, palam testabatur, nolle se deinceps quenquam renuntiare Doctorem; dicens: *Ego prudens facio impie, quod pro aliquot florenis promoveo: Et contendebat ex Matth. XXIII. neminem esse vocandum Patrem, vel Magistrum &c.* Repetit ea in L. von der Gelassenheit I. E. 4. *In den Hoben Schulen, inquit, was sucht man anders, denn Ebre von den andern, derhalben wird einer*

einer Magister, der ander Doctor, und darzu Doctor der Heil. Schrift, geben auch Gut, und Gab um die Ebr, die Christus seinen Lebrjüngern verboten hat, und wollen doch diejenigen seyn, die Christlichen Glauben lehren, und erhalten, wollen unsere Meister, und Doctores genennet seyn &c. Andr. Oslander in Prussia scurrili dicacitate honores Academicos, & ritus in iis conferendis adhiberi solitos perstrinxit, cujus verba e spurcisimo illius libello, qui *Schmeckbier* inscribitur, alio me loco memini allegasse. *VVeigelius, Tremuli*, ac reliqua fanaticorum turba, quanto persequatur odio gradus istos honorum, ex eorundem scriptis sat liquet. Fuit etiam seculo superiori in urbe & Academia Rostochiensis *Henr. Tebens*, ad D. Mariæ Ecclesiastes, qui cum de honoribus, tum ceremoniis Academicis, parum honorifice sensit. Reprehensus tamen hoc nomine a Collegis, postmodum seipsum creari Philosophiæ Magistrum petiit, tandemque, quum sacro se munere abdicasset, in patriam reversus Consulatum suscepit, ut tradit in Rostochio Evangelico Celeberr. Dn. D. Grapius pag. 378. His autem temporibus, uti fere Fanaticorum veterum deliria recoquuntur; sic inter Pietastros non desunt, qui honoribus sese Academicis insensissimos præbeant. *Langius* uterque, alter *Jo. Michael*, superiore anno a S. P. Q. Norico, loco, quem in Academia tenebat, amplissimo, merito suo, motus, in *Deduct. pro Rosenbachio, p. 31.* titulos, honoresque Academicos Theonino dente arrosit. Alter, *Joachimus* in *Longo-Barbaro suo p. 390.* post multas verborum contumelias hanc quoque effutiit: *Dn. N. N. S. Theol. Licentiaudus* (hoc enim titulo meritissimus Gedanensium Theologus eum cohonestarat) *num jam tum licentia verit, ac licentia, qua, secundum Comicum, omnes finis deteriores, factus sit melior, quam in Idea mea examine fuit, dies fortasse docebit. Ipsa veritas, uti & utriusque muneris ratio,*

mibi dedit scribendi docendique publice licentiam. Cui cum Academica declaratio nihil possit addere, nihil demere, hætenus prudentiorum exempla secutus, hanc detrectavi, utpote supervacuum. Sic ille Longo-Barbarus, honores, barbarie obices, barbara quadam maledicentia perstringit. Quid vero isti licentiæ, de qua Comicus loquitur, cum potestate consequendi summos honores, (id enim Licentiæ nomine significatur,) in Academiis? Num decebat gradus sapienti consilio introductos, Regumque ac Principum auctoritate conferendos, barbaro scommate exagitare? Lutherus Noster huiusmodi voces blasphemæ & sacrilegæ appellavit, & narrationi de Carolo studio superius allegatæ, in Actibus Collegii nostri ad A. c. 1512 XXII. hæc verba subjecit: *Ego testor hac mea manu, me in eodem actu affuisse: & etiam has sacrilegas voces (cape Tibi hoc Joachime!) ex ore ejus blasphemæ audisse, (sed quibus tunc palam reclamare non licuit:)* Ego prudens facio impie &c. Ex quibus intelligitur, quo Spiritu cæperit suam Theologiam. Mart. Luther. m. pr. A Diabolo igitur, Lutheri judicio, agitantur, quotquot improbant, & oderunt honores publicos. Supervacaneum quidem esse putat Licentiæ gradum Longo-Barbarus, quum potestatem docendi jam pridem acceperit. Sed enim *Vocatio*, cum testimonio, vel ad vocationem, vel de vocatione, non fuerat confundenda. Saniora tradidit Georgius Major, quum pares Osiandri furores returus, in Orat. Vittembergæ A. 1557. habita de hoc argumento sic disputaret: *Causa, inquit, cur hi ritus sint instituti, hæ sunt: Primum, ne omnibus pateat aditus ad Ministerium, & publicum docendi munus, sed iis tantum, quorum explorata doctrina & vita perspecta est, sicuti Timotheo a Paulo precipitur, Ministri probentur primum, deinde ministrent, ἀνεύχλητοι ὄντες. Qualis enim barbaries esset, si homines non vocati, aut non explorati, undecunque in Ecclesia irrumperent?* tunc

tum etiam periculum esset? Vult DEUS Ecclesiam cœtum esse honestissime ordinatum, ut Paulus inquit: Omnia fiant decore & ordine. Est item Ecclesia ut castrorum acies ordinata. Non vult in ea esse barbaricas confusiones, & ἀνατάσσειν aut illum morem Cyclopum de quo dicitur:

αὐγεὶ ἔδειξ ἔδειν ἔδειός.

Secunda causa est, quod Deus vult conspici a tota Ecclesia eos, quibus testimonia dantur, ut certa sit de eorum vocatione, & ipsorum doctrinam & mores probari toti presbyterio, & iis, quibus gubernatio Ecclesia commendata est. Tertia causa est, ut & ipsi Doctores Ecclesie sciant suam vocationem, & habeant illustria testimonia suæ vocationis, quia conscientia secum disputans de vocatione saepe duriter cruciatur, & cum hac voce reprehenditur: Currebant, & non mittebam eos &c. magno in periculo est, & meminimus, quosdam, qui in seditione Rusticana ante annos 35. non missi cucurrerant, miserrime in desperatione periisse. His, atque item aliis, rationibus suam gradibus Academicis dignitatem asseruit olim Major, quas tanto minus improbare poterunt Sanctuli, quod ejus alioqui sententiæ de bonis operibus, nec obscure, nec illibenter subscribunt. Joachimum vero Longo-Barbarum etsi eum oblatos sibi honores detrectare sæpius potuisse subdubito, quum vix fidem inveniatur, Academiam quandam honorum suorum eo usque prodigam fuisse, ut homini etiam indignissimo, obtrudere illos, irrito conatu studuerit; hætenus tamen, si vera sunt, quæ jactat, Licentiam recusasse non miror, propterea, quod non solum eodem, quo Carolo Stadius, Osiander, & ceteri, hujus furfuris, homines, spiritu agitur, sed etiam, ipsius Joachimi judicio, homines fiunt deteriores Licentia. Ex ipso enim Longo-Barbaro, cumulatque in illo, & conglomeratis cavillis, calumniis, convitiis, scommatibus, aliisque verborum contumeliis, id liquet, jamdum ad tantum malitiæ gradum eum ascendisse,

se,

se, *deterior ut fieri Licentia nulla possit.* Sed valeat cum barbaro iudicio suo Longo-barbarus. Rectius de honoribus Augustissimus REX noster, Nutritor hujus Academiae Clementissimus, statuit, qui, quum paucis abhinc annis, Virum Maxime Reverendum, Nobilissimum, Amplissimumque, JO. CHRISTOPHORUM ERNESTI, numerosissimis per Thuringiam Ecclesiis, Inspectoris nomine praesse juberet, hoc etiam injungendum ei esse putavit, ut dignum se illis partibus, consequendo summos in Theologia honores, ostenderet. His igitur clementissimis mandatis demississime pariturus, adiit his diebus ad nostrum Collegium Ernestus, ab eoque potestatem honores illos obtinendi concedi sibi petiit. Quam quidem hoc minus ei negare potuimus, quod ejus pietas, doctrina, & integritas, jam tum temporis, quum apud Nos & disceret & doceret, innotuit. Natus autem est, ut ejus de vita, pro more, breviter, ipsius tamen Candidati verbis, exponamus, Keulæ in Comitatu Schwarzburgico A. R. S. c. b. l. b. CLXII. die XI. Januarii quartoque die post, per Baptismum renatus fuit, non sine felici omine, quod prior ille *Felicitati*, posterior *Felici* in Factis sacer est. Parentes habuit non e vulgi fece, sed familia honesta. Patrem quidem, Virum Reverendum, pi-um ac eruditum, *Joannem Ernesti*, apud Holzsuranos primum, in Praefectura Eblebiensi, hinc Keulenses verbi DEI Ministrum, sedulum ac fidelem. Matrem vero *Mariam Elisabetham*, Viri Amplissimi, *Joannis Ittigii*, Commendæ Teutonicæ, Silusæ in Comitatu Hennebergico administratoris, (quem ITTIGII, Lipsiensis Academiae, imo totius literati orbis, Ornamenta, & Lumina, cum Nostro, venerantur Avum) filiam præclare educatam. Utrumque parentem in tenera ætate, & quum vix prima pietatis fundamenta jecisset, volente Deo amisit. Quo-  
rum



rum tamen vices in se suscepit frater natus maximus  
*Jo. Mich. Ernesti*, qui eum primo Jenam A. LXXIII.  
hinc Lipsiam secum adduxit, & in scholam ad D. Tho-  
mæ dedit, Rectoribus *Cramero & Thomaso*, a *Starckio*,  
*Leibnizio*, aliis, per quinquennium, dextre, ac fide-  
liter instituendum. Eo elapso *Baruthinum*, in Franco-  
nia, Gymnasium adiit, in eoque *Fickenscher*, *Layrizio*,  
aliis, ingenium ac industriam approbavit. Mox a  
Fratre, jam Greuffensis Scholæ in Thuringia Re-  
ctore, eo est revocatus, a quo post humaniores lite-  
ras, etiam Lingvarum Orientalium, quas imprimis  
callebat, cognitione imbutus fuit. Hæsit igitur apud  
Eum ad annum usque seculi superioris octuagesi-  
mum secundum, nescius, unde aliquando in Acade-  
mia victurus esset. Commodum autem, & DEO haud  
dubie providente, evenit, ut a Perillustri Dn. *Krafft*  
*Burchardo* A BODENHAUSEN, Dynasta in Brandis,  
Radis, Wülferoda &c. Heroe juvandis, ornandisque  
literis nato, præter expectationem suam, pingui, ac lu-  
culento beneficio maclaretur. Eo igitur studiorum  
subsidio instructus Anno clō Is c LXXXII. ad hanc  
Nostram se contulit, in eaque hoc facilius, feliciusque  
divinis humanisque literis operari cœpit, quod ad prius  
illud, etiam Potentissimi *Saxonis*, & Seren. Principis  
*Schwartzburgici* stipendium, nec non *Godofr. Nicolai* Phar-  
macopolæ ac Senatoris, hac in urbe, singularis benefi-  
centia accesserat. Totum vero artium ac disciplina-  
rum campum emensurus audivit in Philologicis *Eck-*  
*steinium*, & *Klepperbeinium*: in Eloquentiæ studiis, *Kirch-*  
*mayerum*: in Metaphysicis *Donatum*: in Pnevmaticis  
*Neumannum* t. t. Ordini Sapientum adscriptum: in Phy-  
sicis *Röschelium* & *Rüdelium*: in Moralibus *Rörenseum* &

b

Rem-

*Remlingium*: In Mathematicis *Waltberum*: in Historia *Schurzfleischium*, & *Tenzelum*, Polyhistoros Celeberrimos: in Jure Canonico, *Strykium*, Nostræ t. t. Academiæ fidus: in Theologia Homiletica *Dassovium*, & *Töpferum*: in Positiva, & Polemica *Quenstedium*, *Deutschmannum*, *Meyerum*, *Löschelum*, *Walcherum*, magnos Viros, ne quid de eo addam, quod *Calovium* quoque concionantem, & disputantem audivit. Prodiit deinceps in publicum, ducibus *M. Rhanoo*, & *Cl. Tenzelio*, quum alter de *Curoniâ*, alter de *Bibliis Polyglottis* diatriben publice ventilaret. Lauream Philosophicam a magni nominis Virò *Mich. Walthero* adeptus, quo potestatem consequeretur privatim docendi, Præside *Cl. Schurzfleischio* de *Dacia Veteri*, mox de *Veteri Excommunicationis ritu*, erudite disseruit, sic ut *Respondentis* primum, hinc *Præsidis* munia obiret. Addidit plurâ ingenii cultioris specimina, & nunc de *Dialogis Doctorum Vet. Ecclesiæ*, nunc de *Eusebio Casariensi* Episcopo, nunc de aliis, erudite ac sobrie commentatus fuit. Et ne diviniorem literarum negligens videretur, non modo de *passione ac mortè Christi*, ex *Gen. III, 15*. Præside *D. Deutschmanno*, sed & de *absoluto decreto*, moderante *D. Löschero*, publice disputavit. His ille rebus effecit, ut non ita multo post Ampliissimo sapientum Collegio adscriberetur, altera de *Eusebio* disputatione, locum sibi concessum vindicaturus. Ab hoc tempore ita didicit, ut simul alios doceret, docendo autem proficeret, hoc magis, quod *Kirchmayeri*, Eloqv. P. P. & *D. Löscheri*, Ordinis nostri h. t. Senioris Venerandi, studiis, & consiliis juvabatur. Ab hoc enim posteriore in convictum, domum, Bibliothecam, admissus, nunquam sine luculento doctrinæ ac eruditionis incremento dimissus fuit. Quin hoc

hoc etiam, qua est humanitate, ac modestia, suis in felicitatibus numerat, quod eodem tempore cum *Pippingio*, Theologo nunc per Saxoniam Summo, & Sacrorum in Aula nostra Antistite, cum tribus item *Löschcheris*, Filiis, qui jam velut totidem sidera, non familiam minus, quam Ecclesiam & rempublicam, doctrina, virtute, & meritis illustrant, quibus me quintum adjicit, notitiam & familiaritatem, in ædibus *Löschcherianis*, contraxit. Ipse quidem consuetudinis illius recordatione sic fruor, ut & multam ex ea voluptatem percipiam, & sapius providæ Numinis bonitati gratias agam, quæ nos, quotquot tunc eramus una, studiis, animis, moribus, conjunctissimos, non pœnitendis conditionibus admovit. Noster vero, cujus virtus indies exsplendescēbat clarius, generosissimis quæque Juvenibus, in his *Ottoni Frid. de Marbiz*, & *Christiano ab Robr*, appositus est rector, quorum quidem studia sic moderatus fuit, ut & plurimum ad illos commodi redundaret, & ipse non parum laudis ex eo reportaret. Tandem anno seculi superioris XCI. *Plaviam* in ditione Schwarzburgica, ad obeunda Pastoris munia est vocatus, quibus quum vix anni spatio præfuisset, a Serenissimo Principe atque Domino, Domino ANTONIO GÜNTHERO, Principe Schwartzburgico &c. constitutus est *Großbrüchteræ Pastor*, hac lege, ut simul, *Keulensis*, & *Schernbergensis* diœceseos Ecclesias gubernaret. His ille partibus per XII. & quod excurrit, annos, magna integritate præfuit ac fide, usque dum ab excessu *D. Siberi*, a Potentissimo Polonia- rum Rege, & Electore Saxonæ, Domino ac Nutritore nostro Clementismo, ad sacerdotium in urbe *Tenstadiensis* primarium, & gubernationem vicinarum

X 3440516

V  
D  
18

Ecclesiarum, quarum propemodum sunt septuaginta numero, evocaretur. Et his quidem adhuc partibus dextre ac sapienter perfungitur. Ceterum, quo & hunc locum majori auctoritate ornaret, simulque obsequeretur mandatis ab Aula nostra acceptis, nomen suum inter Candidatos summorum in Theologia honorum apud Nos est professus. Crastino igitur die, quod felix faustumque sit, ab hora IX. Orationem inauguralem more majorum recitabit. Cui ut PRORECTOR Academiae Magnificus, Patres Conscripti, Doctores bonarum artium, & literarum fautores omnes, una cum studiosa juventute, frequentes auscultare dignentur, meo, ac totius Collegii Theologici, nomine reverenter, ac benevole invitantur. P. P. Dom. V. post Epiphan. A. R. S. clb Io CC X.


VITTEMBERGÆ,  
LITERIS CHRISTIANI GERDESII.

Ha 2859 AK

*[Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.]*

W 7





*Q. K. 238, 18*

*Za*  
*2854*

8.  
 ORDINIS THEOLOGORUM  
 IN  
 ACADEMIA VITTEMBERGENSI  
 h. t.  
 DECANUS  
**GOTTLIEB**  
**VVERNSDORFIUS,**  
 S. S. Theol. Doctor, Ejusdemque Profess. Publ.  
 Templi O. O. S. S. Præpositus, & Alumn. Saxon.  
 Ephorus,  
 LECTURIS SALUTEM PLURIMAM  
 DICIT,  
 EOSDEMQUE AD AUDIENDAM  
**ORATIONEM INAUGURALEM**  
 AMPLISS. THEOL. CANDIDATI  
 REVERENTER, ET OFFICIOSE  
 INVITAT.

*BIBLIOTHECA*  
*PONICKAVIANA*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
 HALLE  
 (SAALE)

*V. 238*  
*De Carolofradii zelo impio adversus Gradus Academicos.*

